

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Sententia definitiva

Prot. N. 45923/11 CA

Translationis

(Rev.dus [X] - Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Francisco PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno primo, die 7 novembris 2013, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, Carolo Card. Caffarra, Paulo Card. Sardi et Velasio Card. De Paolis, atque Exc.mo ac Rev.mo D.no Ferdinando Iosepho Monteiro Guimarães, C.SS.R., *Ponente*, intervenientibus Cl.mo Carolo Gullo, utpote Procuratore-Advocato Rev.di Recurrentis, et Cl.ma Alexia Gullo, utpote eius Advocata, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi, atque Rev. mo D.no Iosepho Punderson, Promotore Iustitiae deputato, hanc definitivam tulit sententiam.

1. – **Facti species.** – Rev.dus [X] anno 1991 ordinationem sacerdotalem recepit et deinde in tribus paroeciis munere vicarii parocialis functus est. Anno 1997 Episcopus [Y] eundem sacerdotem Cancellarium Curiae dioecesanae nominavit et die 4 februarii 1998 etiam parochum [Z] in urbe [N], tunc intra fines dictae dioecesis. Anno vero 2000, dioecesis [N] ex partitione archidioecesis [W] et dioecesis [Y] erecta est, ad quam sedem evectus est Exc.mus D.nus [L]. Novus Episcopus dein nominavit tamquam Cancellarium Curiae novae dioecesis Rev.dum [X], qui dictum munus breviter tene-

bat, videtur usque ad finem anni 2001, parochus [Z] semper manens. Circa annum 2008 ei concredita est etiam cura pastoralis s.d. missionis [M] apud locum [P], circa 30 km a paroecia situm.

In colloquio die 29 septembris 2010 cum Rev.do [X] habito, Exc.mus [L] parochus proposuit translationem ad aliam paroeciam adhuc determinandam. In colloquio dein die 1 decembris 2010 habito, Exc.mus [L] sacerdoti translationem proposuit ad paroeciam [Q] in pago [R], cum paucis fidelibus in vasto territorio dispersis et duabus ecclesiis subsidiariis seu missionibus, [T] in loco [S] (circa 30 km ab [R]) et [U] in loco [V] (circa 20 km ab [R]). Iuxta Rev. dum [X], in illo colloquio ipse sese cuivis translationi non opposuit sed censuit translationem ad pagum [R] inopportunam esse propter suam salutem sat precariam; in specie citavit necessitates illiusmodi paroeciae, praesertim distantiam inter ecclesias, et distantiam a proprio medico in urbe [N]. Ad dictam affirmationem confirmandam, litteris diei 6 decembris 2010 ad Exc.mum [L], D.nus [A], medicus Rev.di [X], statum salutis sacerdotis explicavit, commendans ut ipse curam medicam prosequeretur cum semetipso in urbe [N] cumque medico peritiore D.no [B] in urbe [W]. Nihil vero animadvertit circa difficultates forsitan habendas propter ministerium pastorale in loco rustico exercendum.

Litteris dein diei 24 ianuarii 2011, Exc.mus [L], ad normam can. 1748, dictam translationem ad [R] Rev.do [X] scripto proposuit, iuxta s.d. “*Pastoral Plan*”, explicans se per huiusmodi translationem unitatem inter utramque partem dioecesis promovere intendere, scilicet inter portionem olim ad dioecesim [Y] pertinentem atque partem olim ad archidioecesim [W] pertinentem (in qua locus [R] situs est). Insuper in memoriam Rev.di [X] revocavit se iam in colloquio diei 1 decembris 2010 difficultates salutis agnovisse, censens vero eas rite curare posse in pago [R], propiore urbi [W].

Litteris vero diei 15 februarii 2011, Rev.dus [X] propositam translationem recusavit, quia ipse paroeciam [Z] utiliter regebat ideoque proposita translatio bonum paroeciae non promoveret. Insuper explicite animadvertit se parochum [Z] nominatum fuisse ad tempus indeterminatum.

Proinde, litteris diei 25 februarii 2011 Exc.mus [L], auditis duobus parochis de quibus in can. 1750 (cf. can. 1742, § 1), paternas

exhortationes iteravit, ad normam can. 1750. Explicavit se translationem proposuisse pro bono totius dioecesis, iuxta “*Pastoral Plan*” de quo in litteris diei 24 ianuarii 2011.

Sacerdos vero, litteris diei 16 martii 2011, denuo translationem recusavit. Animadvertit quod paroecia [Q] est inter parviores paroecias dioecesis [N] dum paroecia [Z] est inter maiores et actuosiores. Censuit se in praesentibus Ecclesiam melius servire posse tamquam parochum [Z], ad quam paroeciam ad tempus indeterminatum nominatus erat. Non sese opposuit translationi ad aliam paroeciam in futuro, sed pro tunc maluit in paroecia [X] manere.

Rebus sic stantibus, Exc.mus Episcopus, ad normam can. 1751, § 1, decreto diei 19 martii 2011, Rev.dum [X] ad paroeciam [Q] transtulit, statuens paroeciam [Z] a die 7 aprilis 2011 vacaturam esse. Litteris transmissionis eiusdem diei, Exc.mus Episcopus iteravit se censere translationem necessariam esse ad fines pastorales, de quibus etiam in litteris dierum 24 ianuarii et 25 februarii 2011.

2. – Litteris diei 28 martii 2011 Rev.dus [X] remonstrationem coram Exc.mo [L] exhibuit, qui eodem die remonstrationem reiecit. Instantia vero diei 30 martii 2011, Rev.dus [X] remonstrationem iteravit, exprimens suam intentionem adversus novam responsionem, si et quatenus, recurrenti. Inter alia citavit difficultates relate ad suam salutem, de quibus prius. Exc.mus autem [L] die 31 martii 2011 instantiam reiecit, animadvertens se decretum paroeciae vacationis die 7 aprilis 2011 laturum esse, ad normam can. 1751, § 2, salvo can. 1752 una cum can. 1747. Insuper scripsit «I will also notify the Holy See thereafter of your recourse against the decree of transfer. As you rightly noted, the fact that you are taking recourse against the decree suspends the effectiveness of the transfer. So the office of pastor that you now hold will not be vacated during this time of recourse». Decreto diei 7 aprilis 2011, Exc.mus [L] paroeciam vacantem declaravit, iuxta can. 1751, § 2, et administratorem paroecialem nominavit.

3. – Nova responsione diei 31 martii 2011 eodem die recepta, Rev.dus [X] litteris diei 15 aprilis 2011 rem detulit Congregationi pro Clericis, asserens se a translatione, iniusta et sine iusta causa decreta, “appellare”. Die dein 13 maii 2011, Rev.dus [X] novam in-

stantiam coram Congregatione pro Clericis exhibuit, attento modo agendi Exc.mi Episcopi post recursum interpositum «now that I have appealed his decision to your Congregation».

Tandem litteris diei 4 iulii 2011, a Rev.mo Subsecretario Congregationis subsignatis, Congregatio pro Clericis, haud audito Exc.mo Episcopo, instantiis Rev.di [X] respondit:

- quod nulla indicata est violatio legis ex parte Exc.mi Episcopi, cuius est parochos libere pro prudentia nominare;
- quod exhibitum non est exemplar authenticum actus administrativi impugnati;
- quod exhibitum non est exemplar remonstrationis, sine qua non censetur haberi recursum hierarchicum coram Congregatione ;
- quapropter se solutionem pacificam urgere.

Eodem die Em.mus Praefectus Congregationis exemplar litterarum, tamquam «a copy of the Dicastery's response» pro notitia Exc.mo Episcopo [N] transmisit, solutionem pastoralem commendans.

4. – Instantia diei 1 augusti 2011, Rev.dus [X] interventum Congregationis pro Clericis denuo petiit, plura documenta exhibens, inclusis decreto translationis et remonstrationibus. Dein Rev.dus [X], ne ulla haberetur ad rem aequivocatio, litteris diei 9 augusti 2011 ad Congregationem explicavit instantiam diei 1 augusti 2011 tamquam remonstrationem interpositam fuisse, motiva recursus summarie exponens.

Quibus omnibus praehabitis, Congregatio pro Clericis litteris diei 14 septembris 2011, a Rev.mo Subsecretario subsignatis, propriam decisionem diei 4 iulii 2011 confirmavit. Declaravit se non invenisse in instantiis et documentis diebus 1 et 9 augusti 2011 missis rationem ob quam decisionem mutaret, declarans «no violation of the canonical norms is evident from either the previous or the most recent submission». Exc.mus Secretarius Congregationis simul exemplar litterarum, tamquam «a copy of the Dicastery's response», Exc.mo Episcopo [N] transmisit, eius sollicitudinem pastoralem commendans.

5. – Adversus decisionem Congregationis pro Clericis die 4

iulii 2011 datam et die 14 septembris 2011 confirmatam, Rev.dus [X] die 7 octobris 2011 provocavit ad H.S.T. Sueta discussione inter Cl.mos Advocatos partium et Rev.dum Promotorem Iustitiae deputatum peracta, causa in Congressu diei 9 novembris 2012 ad disputationem coram Collegio Em.morum et Exc.morum H.S.T. Iudicium admissa est.

Omnibus peragendis peractis, nunc Nobis huic dubio respondendum est: «**An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 4 iulii 2011, die 14 septembris 2011 confirmatam**».

6. – **In iure.** – Tria elementa iuridica fundamentalia in casu consideranda sunt: a. stabilitas parochi in officio, b. modus procedendi in parochia transferendo et c. iusta causa pro huiusmodi translatione efficienda.

a. Quoad requisitam stabilitatem parochi in officio, «quam animarum cura requirat» (Conc. Oecum. Vat. II, Decretum de Pastoralis Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 31b), can. 522 eam in tutum ponit per nominationem ad tempus indeterminatum (principium generale), sed singulis Episcoporum Conferentiis possibilitatem concedit permittendi quandam huius stabilitatis circumscriptionem: «Parochus stabilitate gaudeat oportet ideoque ad tempus indefinitum nominetur; ad certum tempus tantum ab Episcopo dioecesano nominari potest, si id ab Episcoporum Conferentia per decretum admissum fuerit». Ita duae tantum species parochi haberi possunt, aut ad tempus indeterminatum nominatus aut ad tempus a decreto Episcoporum Conferentia determinatum, si et quatenus.

Hoc in casu, Episcoporum Conferentia H singulis Episcopis dioecesanis facultatem concedit nominandi parochos ad sexennium, etiam pluries, pro discretione: «Individual ordinaries may appoint pastors to a six year term of office. The possibility of renewing this term is left to the discretion of the diocesan bishop. The primary provision of Can. 522 that pastors may be appointed for an indefinite period of time remains in force» (Decr. diei 24 septembris 1985). Obliviscendum non est quod nominatio ad tempus determinatum, cum facultativa sit, in singulis casibus explicita esse debet et numquam praesumi potest. Quam ob rem nisi in ipso decreto statuitur

parochum ad tempus determinatum nominari, is ad tempus indeterminatum nominatus habendus est.

b. Quoad translationem parochorum ad tempus indeterminatum nominatorum vel etiam illorum ad tempus determinatum, sed ante hoc tempus elapsum, adamussim servandae sunt normae datae in cann. 1748-1752 sub rubrica “De Modo Procedendi in Translatione Parochorum”, haud neglectis normis generalibus ceterum servandis, uti can. 153, § 1, iuxta quem provisio officii de iure non vacantis est ipso facto irrita, nec subsequenti vacatione convalescit.

Iuxta can. 1748, duo sunt praesupposita translationis:

- Agi debet de parcho qui paroeciam utiliter regit; si vero eius ministerium noxium aut saltem inefficax evadat, servandus est modus procedendi in amotione parochorum, de quo in cann. 1740-1747;

- Agi debet de translatione ad aliam paroeciam vel aliud officium determinatum postulata a bono animarum vel ab Ecclesiae necessitate aut utilitate, de qua videbimus infra; uti legitur in Sententia H.S.T. diei 1 decembris 2009 in causa *Cassovien.*, prot. n. 38743/06 CA: «Evidenter novum officium ad quod Exc.mus Episcopus parochum transferre vult propter bonum animarum vel Ecclesiae necessitatem aut utilitatem (cf. can. 1748) necessarie determinatum esse debet».

Quibus praemissis, ut parochus legitime transferri possit, ita procedendum est:

- Episcopus parochus translationem scripto proponat ac suadeat ut pro Dei atque animarum amore consentiat (can. 1748);

- Si vero parochus consilio ac suasionibus Episcopi obsequi non intendat, rationes in scriptis exponat (can. 1749); Episcopus, attentis rationibus allatis, videat utrum a proposito recedendum sit, necne; si iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus parochis ad normam can. 1742, § 1 selectis, rationes perpendat quae translationi faveant vel obstant; quod si Episcopus exinde translationem peragendam censeat, paternas exhortationes parochus iteret (can. 1750);

- His peractis, si adhuc et parochus renuat et Episcopus putet translationem esse faciendam, hic decretum translationis ferat, statuens paroeciam, elapso praefinito tempore, esse vacaturam (can. 1751, § 1);

- Hoc tempore inutiliter transacto, si nimirum parochus pos-

sessionem officii ad quod non ceperit, Episcopus paroeciam vacantem declaret (can. 1751, § 2), salvo can. 1747;

c. Quoad causam translationis, quae in casu translationis parochi inviti gravis esse debet (cf. can. 190, § 2), in doctrina communi tenetur quod: «Il bene delle anime oppure la necessità o l'utilità della Chiesa, indicato al can. 1748 – per costituire una causa adeguata di trasferimento coatto del parroco – devono essere gravi, e non basta qualsiasi asserita utilità o qualsiasi possibile e tanto meno discutibile bene delle anime. Altrimenti non avrebbe senso sostenere la stabilità dell'ufficio del parroco, che [...] è proprio motivo delle norme specifiche per la rimozione e il trasferimento dei parroci» (Z. GROCHOLEWSKI, *Trasferimento e rimozione del parroco*, in AA. VV., *La parrocchia*, Città del Vaticano, 1997, 220).

In parcho transferendo propter utilitatem Ecclesiae, uti in casu, non sufficit quaevis utilitas sed, ad normam can. 190, § 2, utilitas requiritur quae gravem causam constituit. Ad rem legitur in sententia definitiva H.S.T. diei 16 decembris 1989, in causa *Xylopolitan.*, prot. n. 18467/86 CA: «Norma generalis de translatione ab officio ecclesiastico ad aliud in can. 190 Codicis Iuris Canonici statuitur, quae dicit quod haec translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur et simul officio quod committitur (§ 1). Insuper decernitur quod si translatio fiat invito titulari officio a quo, gravis requiritur causa, et, firmo semper iure rationes contrarias exponendi, servetur modus procedendi iure praescriptus (§ 2). Ad hanc generalem legem de translatione ab officio ad officium accedit specialis legislatio de translatione a paroecia ad paroeciam una cum ratione procedendi in casu, quae habetur in cann. 1748 ad 1752 Codicis Iuris Canonici. Ex his canonibus, collatis cum can. 190, elucet, Superiorem unice competentem ad translationem efficiendam in casu Episcopum Dioecesis Xylopolitanae esse et causam gravem constituere bonum animarum vel necessitatem aut saltem utilitatem Ecclesiae. Ex his etiam apparet, solum Episcopum esse iudicem in translatione faciendam competentem, ideoque ad eum spectare etiam iudicium de gravitate causae sive ex bono animarum sive ex necessitate aut utilitate procedente».

Evidenter iudicium Episcopi arbitrium esse non potest; necessitas vel utilitas fundamentum obiectivum habere debet, quod

constare debet ex actis. Insuper proportionata esse debet requisitae stabilitati in officio parochi, “quam animarum cura requirat” (cf. CD, 31b). Tandem non sufficit quaedam ratio generalis, sed indicari debet bonum per translationem obtinendum.

7. – **In facto.** – In primis animadvertendum est quod obiectum recursus per se est decisio Congregationis pro Clericis die 4 iulii 2011 data et die 14 septembris 2011 confirmata, qua Dicasterium respondit solis accusationibus a Rev.do [X] exhibitis, tandem decernens: «No violation of the canonical norms is evident from either the previous or the most recent submission».

Congregatio autem, tamquam superior hierarchicus recursum adversus translationem parochi recipiens, non continetur mera consideratione animadversionum et documentorum ab ipso recurrente propositorum, sed pro sua competentia et discretione rem pressius investigare potest et interdum debet (cf. art. 77, *Regolamento della Congregazione per il Clero*). Si Congregatio primam instantiam Rev.di [X] tamquam recursum hierarchicum non recepit – non tantum quia illa instantia haud perspicue casum illustravit sed etiam quia Exc.mus Episcopus neglexit rem Congregationi referre, ut Rev.do [X] die 31 martii 2011 promiserat – nihilominus ex documentis a Rev.do [X] postea exhibitis Congregatio videre potuit agi de recursu hierarchico adversus translationem. Quidquid est, cum Dicasterium ab Exc.mo Episcopo non exquisiverit acta translationis ut ipsa videre posset saltem de requisitis actus administrativi impugnati, multa obscura manebant etiam coram H.S.T., ita ut causa ulteriore instructione indigens appareret. Proinde post admissionem causae ad disceptationem Exc.mus Episcopus invitatus est ad rationes et acta exhibenda, ita ut Nos rem accurate perpendere possemus.

8. – Ex actis constat de defectu *in procedendo* ob violationem can. 153, § 1, eo quod Exc.mus Episcopus Rev.dum [X] die 19 martii 2011 transtulit ad paroeciam quae tunc vacans non erat, nam eius parochus, Rev.dus [C] in officio mansit usque ad diem 20 iulii 2011.

Ipsa Rev.dus nihil ad rem coram Congregatione pro Clericis exposuit ac ipsa Congregatio de hoc praesupposito translationis non egit. Tandem prae manibus habentur documenta ex quibus satis

constat paroeciam *ad quam* [Q] die 19 martii 2011 vacantem non fuisse. In casu, nullum documentum exhibitum est ex quo constat Rev.dum [C] ante diem 19 martii 2011 ab officio parochi [Q] cessavisse. Habentur potius documenta quae probant paroeciam [Q] die 19 martii 2011 vacantem non fuisse, praesertim:

a. litterae diei 6 aprilis 2011, quibus Exc.mus Episcopus a die 7 aprilis 2011 Rev.dum [C] administratorem paroeciae [Z] nominavit: «Effective April 7, 2011, I appoint you Administrator of [Z] Church, [N], [D], and its Mission of [M] while retaining your office of Pastor of [Q] Church, [R], [D], and its Missions of [T], [S], and [U], [V]»;

b. litterae circulares diei 8 aprilis 2011, quibus Exc.mus Episcopus paroeciae [Q] nuntiavit se Rev.dum [C] nominavisse administratorem [Z]: «I have asked Father [C] to serve as the Administrator of [Z] Church, [N], while retaining his office of Pastor of [Q] Church, [R], [D], and its Missions of [T] in [S], and [U], [V]. Although Father [C] is still your pastor, I have asked him to reside full time at [Z] Church as he serves that community»;

c. litterae diei 20 iulii 2011, quibus Exc.mus Episcopus, recepta prima responsione Congregationis pro Clericis, Rev.dum [C] tandem transtulit ab officio parochi [Q] ad officium parochi [Z]: «After prayerful reflection and considering the pastoral needs of the Diocese of [N], and your willingness to be transferred from your present office as pastor of [Q] Church, [R], [D], and its Missions of St. [T], [S], and [U], [V], I appoint you, effective immediately, Pastor of [Z] Church, [N], [D], and its Mission of [M]»;

d. nuntia publica diei 26 iulii 2011, iuxta quae Rev.dus [C] translatus est ab officio parochi [Q] ad officium parochi [Z].

9. – Nunc Exc.mus Episcopus contendit se litteris diei 6 aprilis 2011 erronee scripsisse Rev.dum [X] parochum [Q] mansisse: «In that same letter I mentioned in error that Father [C] remained pastor of [Q] Church in [R]. I did not ask him to resign as pastor of [Q] Church in [R] since, in the normal course of events his installation in the new office would cause his former parish to be vacant». Quae affirmatio potius confirmat paroeciam [Q] die 19 martii 2011 non vacavisse.

Quid dicendum de litteris diei 20 iulii 2011, quibus Exc.mus Episcopus, recepta responsione Congregationis pro Clericis diei 4

iulii 2011, Rev.dum [X] parochum [Q] nominavit, cum effectu autem a die 17 augusti 2011, scilicet post translationem Rev.di [C]: «Effective August 17, 2011, I appoint you Pastor of [Q] Church, [R], and its Missions of [U], [V], and [T], [S]. I am only delaying your appointment until August 17 so that you may continue to assist Father [E] at [F] Church, Laredo, during the time of recovery from recent surgery». Agitur de nova nominatione ad paroeciam quae eodem die 20 iulii 2011 vacare incepit per translationem Rev.di [C] In contextu, videtur potius decretum exsecutorium decreti translationis diei 19 martii 2011, cuius plena exsecutio suspensa manebat pendente recurso, iuxta explicationem datam ab Exc.mo Episcopo litteris diei 2 augusti 2011 Rev.do [X] missis: «Your former parish was made vacant when the Congregation for the Clergy issued its response, and a pastor has been legitimately appointed». Et postea Exc.mus Episcopus litteris diei 11 novembris 2011 Rev.dum [X] admonuit quod septem menses elapsi erant a die quo ipse novam paroeciam petere debebat, scilicet a die 7 aprilis 2011; «seven months have elapsed since you were to have assumed your residence and taken possession of your parish». Quae verba exponunt mentem auctoris utriusque decreti: agitur de translatione primum die 7 aprilis 2011 decreta, deinde, ob recursum interpositum et alias circumstantias, tandem die 17 augusti 2011 in effectum deducenda.

10. – Ex actis constat etiam quod lex violata est in decernendo ob defectum iustae causae, de qua in can. 1748.

In decisione diei 19 martii 2011, obiecto principali recursus hierarchici, motivationes tantummodo per relatum indicatae sunt, scilicet per remissionem ad litteras diei 24 ianuarii 2011, in quibus motiva expressa sunt, necnon litteras diei 25 februarii 2011.

In epistola diei 24 ianuarii 2011, qua Exc.mus Episcopus translationem Rev.do [X] scripto proposuit ad normam can. 1748, Exc.mus Praesul egit de s.d. “*Pastoral Plan*”, explicans se per huiusmodi translationes unitatem inter utramque partem dioecesis promovere intendere, scilicet inter portionem olim ad dioecesim [Y] pertinentem (in qua invenitur paroecia *a qua*) atque partem olim ad archidioecesim [W] pertinentem (in qua invenitur paroecia *ad quam*): «The purpose of this year is to strengthen diocesan identity and di-

ocesan unity. This purpose is motivated for the good of the church and the salvation of souls. [...] Since our people are not transitory, I have asked our pastors to be open to accepting parochial appointments or transfers to parishes they have not served previously. For example, a pastor who served in a territory which was previously in the Archdiocese of [W] would accept to transfer to serve as a pastor of a parish which was previously in the Diocese of [Y]. Pastors have willingly accepted these transfers and they have reported positive results in their ministry for the salvation of souls. These pastor transfers have furthered the salvation of souls and fostered the love of God as the faithful receive their new pastor and identify themselves more closely as member of the Diocese of [N] and not just members of a particular parish».

Etiam in altera epistola diei 25 februarii 2011, qua Exc.mus Episcopus paternas exhortationes interavit, ad normam can. 1750, remissum est ad hanc rationem: «I reiterate the reasons for the proposal as stated in my previous letter; namely, the urgent need to fulfill the pastoral plan for the diocese, and the need to do so despite the grave lack of clergy serving in the diocese. Your gifts will help us to fulfill our mission, there is no doubt. But they are now needed in another office so that mission will be served to the best extent possible». Sed dicta ratio pastoralis generalis in se constituere non videtur totam rationem ob quam hic parochus, Rev.dus [X], tunc, anno 2011, a paroecia [Z] ad paroeciam [Q] erat.

11. – In epistola enim diei 24 ianuarii 2011 invenitur elementum specificum quod etiam inter motiva translationis apparet, scilicet quod Rev.dus [X] iam duodecim annos in paroecia [Z] expleverat: «On September 29, 2010 of last year, I spoke with you regarding a possible transfer from pastor of [Z] Church, where you have served successfully for twelve years, to another parish in the diocese».

Ad rem melius aestimandum, opportunum videtur primum exponere mentem et praxim Exc.mi Episcopi [N] circa stabilitatem parochorum. Litteris die 16 maii 2007 omnibus presbyteris suis datis, Exc.mus Episcopus [N] ita stabilitatem parochi explicavit: «for a point of clarification regarding stability for pastors, Canon Law allowed episcopal conferences to determine stability. For a priest with

the title of *Pastor*, the [G] designated six (6) years as a period of stability. G allows for the option of a one-time renewal, but the renewal is not guaranteed». Videtur quod Exc.mus Episcopus legem particularem erronee interpretatus est, ita ut censeret omnes parochos in [H] stabilitate gaudere tantummodo ad sexennium, vel summum ad duodecim annos, ita ut ipsi dein libere ad aliam paroeciam transferri possent. Videtur insuper quod Exc.mus Episcopus, eandem ob rationem, censuit nihil ad rem statuendum esse in decreto nominationis vel translationis. Hoc ex actis confirmari videtur e decreto diei 19 martii 2011, quo Rev.dum [X] ad officium parochi [Q] transtulit nullo indicato termino et e decreto diei 20 iulii 2011, quo Rev.dum [C] ad officium parochi [Z] transtulit nullo pariter indicato termino.

In casu, ex actis apparet quod Exc.mus Episcopus anno 2010 initium dedit proceduræ translationis, quia Rev.dus [X] duodecim annos in officio parochi [Z] iam expleverat:

- Circa sessionem diei 8 septembris 2010 cum "Priest Personnel Board" habitam scripsit: «The Priest Personnel Board met on September 8, 2010, and at this meeting I expressed the desire to propose a transfer for the pastor of [Z] Church, [N], who had completed twelve years at his current assignment»;

- Circa colloquium diei 29 septembris 2010 cum Rev.do [X] habitum scripsit: «On September 29, I had the opportunity to speak to this pastor indicating, for the first time to him, that (he had) completed his 12 years at his current assignment»;

- Circa colloquium diei 1 decembris 2010 cum Rev.do [X] et Rev.do [J] habitum, Rev.dus [J] coetui "Priest Personnel Board" retulit: «The Bishop wished to convey the meeting he had with Msgr. [X], and Fr. [J], [...] in regards (to) his next assignment since his term of twelve years as pastor of [Z] has expired [...] The Bishop then began the meeting discussing with Msgr. [X] that his time at [Z] has come up and that he and the personnel board have come to a decision about assigning him to [Q] Church, [R], [D], and its missions»;

- Litteris die 24 ianuarii 2011 ad Rev.dum [X] datis, Exc.mus Episcopus scripsit: «On September 29, 2010 of last year, I spoke with you regarding a possible transfer from pastor of [Z] Church, where you have served successfully for twelve years, to another parish in the diocese»;

Quod agebatur de praxi consolidata in dioecesi [N] aliquo modo confirmatur ab aliis documentis ab Exc.mo Episcopo exhibitis, praesertim a documento praedictis litteris diei 16 maii 2007 exhibito: "*Diocese of [N], Priest Assignments, May 2007*". Iuxta dictum documentum:

- Tres presbyteri iam duodecim annos in paroeciis respectivis expleverant, Rev.di [AA], [BB] et [CC], omnes ad novas paroecias anno 2007 translati sunt (cf. *The Official Catholic Directory 2008*);

- Rev.dus [EE] iam undecim annos in paroecia [DD] expleverat; videtur quod anno 2009 aliunde translatus est (cf. *The Official Catholic Directory 2010*);

- Rev.dus [FF] decem annos in paroecia [GG] expleverat; anno 2009 translatus est (cf. *The Official Catholic Directory 2010, ...*);

- Solus Rev.dus [X] tunc novem annos in paroecia expleverat, ita ut ipse solus anno 2010 transferendus esset, iuxta praedictam praxim.

Proinde, quoad paroeciam *a qua*, ex actis constat quod motivum principale translationis Rev.di [X] erat expletio duodecim annorum in eadem paroecia, quam tunc utiliter regebat.

12. – Quoad paroeciam *ad quam*, cum tunc nulla paroecia vacaret, Exc.mus Episcopus, iuxta praxim suam, primum presbyteris suis nuntiavit paroeciam [Z] mox vacaturam esse. Deinde, audito coetu "*Priest Personnel Board*", ex duobus parochis qui propriam voluntatem et desiderium expresserant accipiendi translationem ad paroeciam [Z], Ordinarius elegit Rev.dum [C], parochum [Q] in territorio olim [W] praeter Rev.dum [JJ], parochum [HH] in territorio olim [Y]. Ita Exc.mus Episcopus determinavit, uti videtur, paroeciam ad quam Rev.dus [X] transferendus erat.

Ita duae motivationes in litteris diei 24 ianuarii 2011 duo officia de quibus respicere videntur. Expletio duodecim annorum in officio parochi respicere videtur translationem a paroecia [Z] dum praxis permutationis inter duas partes dioecesis respicere videtur translationem ad paroeciam [Q].

Ex quibus videtur quod motivationes translationis ex una causa principali pendent: Rev.dus [N] iam duodecim annis officium parochi tenebat ideoque transferendus erat. Constat quod

Rev.dus [X], nominatus ad tempus indefinitum ad paroeciam [Z], quam utiliter regebat, ab ea transferendus erat tantummodo quia eam iam plus quam duodecim annos regebat. Eodem modo constat selectionem paroeciae *ad quam* fundatam esse in ipsa translatione parochi [Z]. Aliis verbis asserta necessitas providendi parochum pro paroecia [Q] – de facto non vacante – creata est ab ipsa translatione parochi [Z].

Asserta utilitas generalis pro dioecesi [N] habenda ex translatione uniuscuiusque parochi post duodecim annos in officio non constituit causam gravem (cf. can. 190, § 2), optatae stabilitati proportionatam, ob quam parochus invitatus legitime transferri possit. Aliae considerationes ab Exc.mo Episcopo invocatae subordinatae vel derivatae apparent.

13. – Uti Exc.mus Episcopus suae Cl.mae Patronae rettulit, ipse praeoccupatam mentem habet, quia si praxis translationum in dioecesi hucusque adhibita illegitima declarabitur, grave damnum haberi poterit pro bono animarum, si infelices parochi postea eorum translationem impugnant: «Quae Exc. Episcopi discretionalitas (de qua in can. 523) in discrimen vocari nequit, ne haberetur “an overwhelming negative impact upon the Diocese of [N] where pastoral transfers have occurred without letters of resignation since the erection of the diocese in the year 2000”».

Ad rem animadvertendum est quod:

- Discretio de qua in can. 523 («parochi officii provisio Episcopo dioecesano competit et quidem libera collatione») exercenda est ad normam legis, praescripto can. 153, § 1 haud excluso;

- In casu, non agitur de sola provisione officii parochi, sed de translatione parochi, de qua in cann. 1748-1752;

- Ceteri parochi [N], qui translationem pacifice acceptaverunt, non possunt eam nunc extra terminos impugnare;

- Sententia H.S.T. vim habebit tantummodo quoad translationem Rev.di [X] a Congregatione pro Clericis probatam, iuxta can. 16, § 3: «Interpretatio autem per modum sententiae iudicialis aut actus administrativi in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est».

14. – **Conclusiones.** – Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Constare de violatione legis in procedendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 4 iulii 2011, die 14 septembris 2001 confirmatam, quia Exc.mus Episcopus die 19 martii 2011 Rev.do [X] contulit officium non vacans, contra praescriptum can. 153, § 1.

Constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 4 iulii 2011, die 14 septembris 2001 confirmatam, ob defectum gravis causae translationis, de qua in can. 1748 una cum can. 190, § 2.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandum et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 7 novembris 2013.

(Signati)

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

Carolus Card. CAFFARRA

Paulus Card. SARDI

Velasius Card. DE PAOLIS, C.S.

✠ Ferdinandus Iosephus MONTEIRO GUIMARÃES, C.S.S.R., *Ponens*

Et notificetur.

Die 28 februarii 2014

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*
Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, m.g., *Moderator Cancellariae*